

Possum dicere de eo, sicut de quodam beato viro legitur, Ekebertus hic pauper et modicus celum dives ingreditur. Et nunc anima beata, anima a Domino electa, choris celestibus iuncta, exulta in domino Iesu, quem toto corde, tota virtute dilexisti. Iocundare nunc in laude eius, quem, dum in corpore manebas, laudare usque ad finem vite tue non cessabas, fructa¹ nunc illi in iubilum dulcem ad quem totis viribus suspirasti et ex intimo corde gemitus ad ipsum emisisti. Et nunc plena quia cordis leticia frueris in aspectu pulchritudinis eius, pater venerande, pater amande, ne obliviscaris filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas in erumpnis huius seculi nosti laborare, ut pater ille sempiternus, qui tibi preparavit sedem in celestibus, nos quoque ad sua pascua perducere dignetur, ut letemur et nos tecum in celesti gloria: per infinita secula seculorum Amen.

Non erit equalis, tibi non Sconaugia talis:
Flos erat egregius, requiescat spiritus eius.

1) Lies 'eructa . . . iubilum'. W.